



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Dubium incidens de hebdomadariis Ecclesiæ Cathedralis Neapolitanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Dubium incidens de Hebdomadariis Ecclesiæ Cathedralis Neapolitana.

26. Ex dictis infero Aloysium Riccius in decis. p. 3. decis. 13. non statim debuisse damnare consuetudinem in Cathedrali Neapolitana, per quam Hebdomadarij celebrant ibi Sacrum, sed applicant alteri, cui libuerit fructum Missæ: non, inquam, statim damnare debuisset; nam juxta prædicta considerandum erit, quæ ratione, seu quibus verbis ibi fundatores eas Missas in instrumento foundationis disposuerunt, ut sic decerneretur, approbandane esset illa consuetudo, an reprobanda?

27. At quid, si non extet tale instrumentum, seu scriptura, unde id ex ejus verbis dilucidari possit? Respondeo ex Delugo de Euch. 2.1. sect. 1. num. 23. fin. qui facit, quamvis in iis, qui dant elemosynas manuales pro Missis dicendis semper præsumitur eos velle applicationem: in beneficiis vero, vel aliis, in quibus obligatur Sacerdos ad celebrandum solum ob commoditatem eorum, qui audituri sunt Missam, facilius posse existimari quod sola Officiatura, non vero Applicatio requiratur. Hæc ille. Cui addi potest, in casu nullius scripturæ, maxime favere sanam populi, (notat idem Riccius, præaxis rerum quotid. Eccl. ref. 366.) ipsam Sacerdotum praxim, ipsum exemplum prædecessorum, & similia: Debebat ergo Riccius hæc omnia considerare, nam ceterè, si hæc favent dictis hebdomadariis, à sua consuetudine dimovendi non sunt.

Aliquot quæstiones circa voluntates fundantium Missarum.

28. Explicatio conjecturarum, de quibus hæcenus egimus circa Fundatorum voluntates, requirit, ut ad majorem legentium utilitatem sequentes has quæstiones dissolvamus.

Quæres enim 1. Si Fundator sic disponat, *Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebrans oret pro anima mea*, obligabitur Sacerdos applicare Missam pro Fundatore, an solum satis erit si pro Fundatore oret in Missa?

Respondeo. Certè posset sic intelligi, hæc enim duo applicare pro Fundatore Missam, & orare in Missa pro eodem, separabilia sunt: cum ergo unum solum exprimitur, non alius; in illud unum videbitur alicui cadere obligatio. Verum ex tanta conjunctione verborum celebrans oret, puto implicite utrumque voluisse Fundatorem, donec aliqua alia circumstantia contrarium persuadeat.

29. Quæres secundò. Si fundator ita disponat, *Assigno hæc legatum ut Sacerdos celebret pro anima mea*, quot Missæ celebrandæ?

Respondeo, quot in ea Civitate celebrari solent in aliis similibus Foundationibus: Quod si in ea nulla alia, præter hanc, de qua dubitamus, appareant, arbitrio prudentis juxta amplitudinem, vel parvitatem elemosynæ, aliisque circumstantias, res decernatur. Dicitur (in ea civitate) non autem dixi (in ea Diocesi) solet enim non raro evenire, ut multum dissimiles sint ejusmodi circumstantiæ, in ampla, & locuplete civitate, quam in parvo oppido, licet ejusdem Diocesis.

30. Adverto insuper aliud esse si sit fundatio Capellaniæ vel Beneficij, aliud, si sit merum legatum Missarum. In Capellania enim, & Beneficio propter alia onera Altaris, & officij, pinguis solet assignari stipendium Sacerdoti, quam in mero legato Missarum, pro quibus communiter solum dari consuevit stipendium, quod est inductum, vel taxatum in tali Diocesi.

31. Quæres tertio. Si fundator ita disponat, *Assigno hunc censum, ut Sacerdos teneatur assidue celebrare*: celebrandumne huic erit quotidie, an satis erit frequenter dumtaxat? Respondeo. Cenedus in simul. 14. illud

(Assidue)